IN SINGVLA QVINDECIM MYSTERIA

SACROSANCTI PSALTERII SIVE' ROSARII

BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

CONTEMPLATIONES

THEOLOGICO = THOMISTICÆ


Poetica primùm Synopſi indicatæ,

Deinde è Sacro Textu deductæ,

Sacrarumque litterarum & Patrum Auctoritate roborate,

QVAS

IN LIMINE COMITIORVM PROVINCIALIVM



Prouinciæ Vtriusque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum
Publico certamini pro munere exponit

FRATER THOMAS MARIA LASCARIS
In Conuentu Foroliuienſi Primarius Theologiæ Lector,

IMPLORATO NVMINE

EM^MI AC REV.^MI DOMINI

D. FVLVII ASTALLI

S. Romanæ Eccleſiæ Card., Tituli SS: Cosmæ & Damiani,

In tota Æmilia & Exarcatu Rauennatenſi

Apoſtolici de Latere Legati.

FOROLIVII ex Typographia Zampæ. 1698. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME

PRINCEPS;



Antiqua de ſtirpe nepos, quem Gloria, faſtus
Neſcia Nobilitas, Pietaſque, & viuida Virtus,
Et famulus comitatur Honor, quem murice ſacrò
Induit, & latiæ, magnum decus, addidit aulæ,
Et fors maiori ſeruabit Roma Thiara,
Siſto Tibi ſanctam ſupremo iure Logiam,

Quæ cum Prole pia caſtam meditata Parentem,
Muſarum ſociata Choro, fidibuſque canentum
Agmine feſtiuo circùm ſtipata Sacrorum,
Singula ſancta ſuo reſonat Myſteria Plectro,
Effundens Roſeos ſincero e pectore flores,
Quos ſudante manu noſtro collegit in Horto.

IVre, aiebam, ſupremo talem Tibi Theologiam ſiſto, Princeps ampliſſime, qualem nuper à me deſcriptam habes, vt eam videlicet reddam Tibi, quæ tota quanta eſt, Tua erat antequàm ſiſteretur. Sane annon Tua, quæ Thomiſtica? Tu videris, qui canta in Angelicum Ducem eius ageris propenſione, tantoque ſtudio, vt in ancipiti ſit, an Te in illo Theologizantem, an illum in Te Principantem veriùs admiremur. Quomodo non Tua quæ ſacrum Deiparæ Roſarium deuota meditatione percenſet? Iſtud namque tali Pietate proſequeris, talique Gloria, vt ſacris libentius Roſis, quàm Oſtro, Purpuræ Tuæ ſplendorem adſcribas. Tua profectò, quæ Poetica: muſis quippe adeò Te amicum exhibes, vt eas non in gloriæ tantùm, verum in laborum Tuorum, curarumque conſortium digneris aſſumere, Parnaſſum in deuotum Caluarium, Helicona in glorioſum Thabor, & Hippocrenen in ſacra fluenta Iordanis commutaturus, grauitate Tua ipſarum corrigens leuitatem. Sed & tua poſtremò, quæ ſacrarum litterarum Sanctorumque Patrum oraculis obſignata, modicam grandis illius partem exhibet Bibliotecæ, quam mente concludis, verbis eructas, moribus exprimis. Satis ergò ſuperque compertum habes, Mæcenas humaniſſime, non obſequij duntaxat, ſed & iuris officio talem Tibi à me donandam fuiſſe Theologiam, quæ titulis omnibus Tua erat, antequam donaretur. Te propterea rogare deſinam, vt eam, congenita exceptam alacritate, Patrocinio Tuo donare digneris: Nec enim obteſtationum artificio vel minimum indiget eruditi ſupremum illud ius, quod Te Patrono dignam tàm æquè facit, quàm fecerit Tuam. Interim verò ad Eminentiæ tuæ pedes humillimè prouolutus, & ſacra ruens in oſcula Purpuræ, eam Tibi fælicitatem, quæ Te digna ſit, & qua Tu dignus es, totis præcordiorum affectibus de Cælo precor.

Eminentię Tuæ

Humill. Addictiſſ. & Obſequentiſſ. Seruus
F. Thomas Maria Lascaris Ord. Pręd.

In

IN PRIMVM GAVDIOSVM

B. VIRGINI ANNVNCIATVR DOMINICA INCARNATIO.

I.

Tantùm noſtra ſalus, claudit quam Nomen Ieſu

Deſuper impoſitum, traxit ab axe Deum.

C*Oncipies in vtero; & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum*, Luc. 1. In Nazareth, Vrbe Florum, primum audita eſt vox hæc, Nazareni Floris prænuncia. Vox fuit nouitatis ac lætitiæ plena, qua Gabriel Angelus diuina apud Virginem fungens legatione, Dominicam in ea tunc carnis commixtione complendam illicò Incarnationem annunciauit. In hac interim habemus vtique quod admiremur, ineffabile videlicet Diuinitatis cum humanitate, Virginitatis cum fœcunditate, commercium. Sed & præſertim habemus quod redamemus, amorem Dei videlicet, qui talis tantusque fuit, vt vel ex hoc vnicè dilexerit nos, quia peccatores eramus. Non enim alia ratione nomen Ieſu Saluatorem ſonans, quod ſibi imponeretur, elegit, niſi vt vel ipſo nomine ſignificaret ſalutem noſtram ita fuiſſe adæquatum motiuum proximū Incarnationis, vt ſi Adam non peccaſſet, Verbum Diuinum carnem non aſſumpſiſſet. *Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat*, Luc. 19. Et Aug. Ser. 9. de Verb. Dom. *Nulla*, inquit, *cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa.*

II.

Quamquam poſſe Deum carnem ſibi ſumere credo,

Mens tamen ingenito lumine non penetrat.

Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, Luc. 1. Verba fuere, quibus Angelus, Dominicæ nuncius Incarnationis, Mariæ Virgini trepidanti ſuaſit poſſibile fore quod Deus humanam carnem ex ea ſumeret, non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Id autem potius non impoſſibile dixit, quàm poſſibile, notante Ares; vt non mediocrem in explicanda huiuſcemodi poſſibilitate difficultatem, ea veluti circumlocutione indicaret. Quamuis namque poſſibile reuera foret Deum incarnari, vicinum tamen impoſſibilitati videbatur naturæ lumini, quippe quod ſe ipſo tanti Myſterij poſſibilitatem certò, & euidenter attingere ineptum eſt. Secretum eſt Auctori ſuo reſeruatum: Magni illius libri ſignacula ſoluere aptus eſt ſolus Deus, qui ſe ipſum in eo deſcripſit ſtylo hominis. Vndè Apoſt. ad Eph. 1. Incarnationem vocat *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo*. Et Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſ. *Si ratio quæritur*, inquit, *non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus ergò aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur inueſtigari non poſſe: Nam in his rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

III.

Ante ſuperbus homo non debuit eſſe redemptus

Quàm voces humiles Virgo Maria daret.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1. Non ante impletum eſt Dominicæ Incarnationis Myſterium, quàm Beata Virgo nomine, non ſuo duntaxat, ſed & totius humani generis, præmiſſam vocem profundiſſima refertam humilitate proferret. Reſpondit verbum; & ſuſcepit Verbum; protulit ſuum, & ſtatim concepit Diuinum. Et ſanè eò uſque differri Saluatoris aduentum conueniens fuit, quia cùm primi hominis lapſus ex ſuperbia proceſſiſſet, infirmus homo relinquendus erat ſub ſtatu naturæ, & ſub iugo Legis, vſquedum ſecundum vtriuſque vires defectum ſuum expertus, ingraueſcente infirmitate, humiliatus recognoſceret ſe indigere liberatore; *Humiliatus ſum, & liberauit me*, Pſal. 114. Et Gloſſ. ord. ad Gal. 3. *Magno*, ait, *Dei conſilio factum eſt, vt poſt hominis caſum non illicò Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus priùs hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret: Vbi, cùm deficeret, legem accepit, qua data inualuit morbus non legis, ſed naturæ vitio, vt ita, cognita ſua infirmitate, clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium.*

IN SECVNDVM GAVDIOSVM

BEATA VIRGO VISITAT ELISABETH.

I.

Gratia quæque fluit de Chriſti fonte, Ioannes

Quam nondùm natus ſenſit adeſſe ſibi.

Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius, Luc. 1. Diſce ſalutantis humilitatem? Maria diuino Verbo læta, venerat ad Eliſabeth Ioanne pregnantem, mater Dei ad matrem hominis; Nec ſolùm venerat, ſed & prior ſalutauerat, vt quaſi parùm humilitati ſuæ fuiſſet ſe priùs Domini ancillam dixiſſe, ancilla fieret & creaturæ. Sed magis diſce Charitatem: ſalutatũ venerat, vt vel ex tunc ſe matrem faceret gratiæ, poſtquàm facta fuerat mater Verbi; & Ioannes in vtero ſanctificatus ab eo, quem ipſa conceperat, ſentiret Redemptorem, antequàm aſpiceret. Et ſane ſenſit, tacitaque exultationis voce teſtatus eſt, ſolem indicans, priùſquam lucem videret. Hinc diſce myſterium, à Chriſto videlicet in nos, tanquam à vite in palmites, ſeù tanquam à Capite homogeneo in membra, omnium chariſmata fluere gratiarum. *De plenitudine eius omnes accepimus*. Io: 1. Et Aug. tract. 80. in Io: exponens illud Chriſti. *Ego ſum vitis, vos palmites*, *Vnius*, inquit, *naturæ ſunt vitis, & palmites. Cum ergò eſſet Deus, cuius natura non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos palmites eſſe poſſemus bonis Cœleſtibus affluentes.*

II.

Singula, quæ reliquas faciunt diuiſa beatas,

In ſe collegit Virgo beata magis.

Exclamauit Eliſabeth voce magna, & dixit, Benedicta Tu inter Mulieres, Luc. 1. Hæc grati animi ſignificatio fuit, qua Virginem ſalutantem, toto cordis ac vocis affectu, reſalutauit Eliſabeth. Maxima ſanè, breuis licet, ſed vera laus. Verè præ cunctis mulieribus benedicta, quæ ſingulari fælicitate totius arbitrum benedictionis mente & carne conceperat, à quo primæ maledictio mulieris fuerat auferenda. Ex eo namque quòd B. Virgo talis tantique filij effecta fuerit Mater, plenitudinem gratiæ ad id conſentaneam, vel ex vtero matris, conſecuta eſt, virtutum omnium, donorum Spiritus Sancti, gratiarum gratiſdatarum comitatu ſtipatam; adeò vt quicquid gratiæ in Sanctis mulieribus partitum vnquam fuit, aut futurum eſt, totum ſingulariſſimo diuinæ maternitatis priuilegio maiore cum excellentia adunatum fuerit in Maria. Talem filium talis decebat Mater. *Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, Prou. 31. *Cæteris*, inquit Hier. Serm. de Aſſump.; *præſtatur per partes; Mariæ verò ſe totam ſimùl infudit gratiæ plenitudo. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſicut in capite influente; in Maria ſicut in collo transfundente.*

III.

Quæ ſummo gaudet Diuinæ Matris honore,

Quàm benè ſe dixit magnificare Deum!

Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominum, Luc. 1. Quamquam Diuina magnitudo ex bonorum noſtrorum adiectione nullum accipere poſſit incrementum intrinſecum, non enim conflatum ex Deo & Vniuerſo eſt aliquid maius Deo ſolo; bona tamen noſtra magnitudinem Dei, ex quo deriuantur, apta ſunt indicare, & eò magis, quò maiora. Quarè Virgo laudata, elogia diſſimulans, in gratiarum ſurrexit auctorem, & benedictioni Conſobrinæ reſpondit celeberrimo cantico Magnificat, inquiens, ideſt magnum oſtendit anima mea Dominum, vt exponit Orig. Hom. 8. in Luc. Magnificat quem paruum fecerat. Sed quo bono? Non alio ſane quàm eo, quo paruum fecerat, dignitate videlicet Diuinæ maternitatis, quæ maximè Dei commendat magnitudinem. quia cætera dona Virgini communicata, vel alijs communicabilia, incomparabiliter excedit *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*, Sap. 7. Et Anſel. de Excell. Virg. c. 2. *Hoc ſolum*, inquit, *De Sancta Virgine prædicari quòd Dei mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel cogitari poteſt.*

IN TERTIVM GAVDIOSVM

CHRISTVS NASCITVR EX VIRGINE.

I.

Partus & integritas Diuinæ Matris in aluo

Non defectura fœdera pacis habent.

Impleti ſunt dies Mariæ vt pareret, & peperit Filium ſuum primogenitum, Luc. 2. Et qualem Filium? Deum ſcillcet hominem factum, qui venerat homines deos facere factus homo. Hunc illa ineffabilitèr peperit: & toto Orbe in pace compoſito peperit, Regem pacificum in regno pacis; in Bethlehem peperit, panem Angelorum, ſeù potiùs hominum, in domo panis; in ſtabulo peperit, omnium Saluatorem omnibus obuium. Iam Paternitas fere deſijt eſſe nomen & cognomen primæ Trinitatis perſonæ, ex quo primogenitus æterni Patris, primogenitus paritèr cæpit eſſe Matris. Dum tamèn primogenitum audis, abſit vt male audias de Integritate Matris, ſi bene audis de Partus integritate: vt enim in illo æternalitèr emittente, ita & in illa temporaliter parturiente, indiuiſum adeò fecunditatis cum Virginitate commercium fuit, vt nullo vnquam modo violari permiſerit. *Venter Tuus aceruus tritici, vallatus Lilijs*, Cant 7. Vbi Amed. Hom. 9. *Autem*, inquit, *aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum ſeges excreuit? Lilijs vallatus dicitur, vt quòd vtero materno perennis integritas comprobetur.*

II.

Gaudeat omnis homo, Chriſto naſcente; peræquum

Fert ſecum pretium, quo redimatur homo.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, Luc. 2. Præloquium fuit, quo ſibi paſtorum attentionem conciliauit Angelus, Dominicam eis annunciaturus natiuitatem. Vobis, inquit, euangelizo gaudium, non qualecunque, ſed gaudium magnum: Neque enim fas erat in illis vel minimæ locum eſſe triſtitiæ, vbi fauſtiſſimus illuxerat dies, quo bonus paſtor naſci dignatus erat, vt eos, velut oues perditas, ſollicitè quæreret, quæſitoſque reduceret ad ouile. Benè autèm non paſtoribus duntaxat, ſed & omni populo gaudium magnum futurum fore perhibetur. Nemo namquè ab huius alacritatis participatione ſecernebatur, vnaque lætitiæ ratio toti humano generi communis erat, quia Filius Dei factus erat homo, vt omnes homines à peccati ſeruitute redimeret, ſicuti reuera redemit, condignæ ab intrinſeco ſatisfactionis pretio liberalitèr erogato. Vide Apoſt. 1. ad Cor. 6. Empti eſtis pretio magno. Et alicubi Euſeb. Emiſſ. *Magnum quidem mihi eſt de Deo quòd eſſe me ſentio opus ſuum: Sed multò plus eſt quòd ipſum tranſiſſe video in pretium meum; Quandoquidem tàm copioſo munere ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.*

III.

Naſceris vt plenam reddas mihi, Chriſte, ſalutem,

Quam mihi non poterat reddere purus homo.

Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, Luc. 2. Magnus Dominus in forma Dei, & laudabilis nimis: Paruus Dominus in forma ſerui, & amabilis nimis. Natus dicitur, non ſibi, qui vtiquè ante tempora multò nobilius natus ex Patre, naſci non indigebat ex matre: Nec Angelis, quorum alij reparatione non egebant, incapaces erant alij reparationis: Sed nobis, quantum capacibus, tantum indigentibus reparatione. Natus eſt carne, vt viuificaremur ſpiritu; natus ex muliere, vt deſineremus filij eſſe mulieris; deſcendens ad ima, vt nos extolleret ad ſuperna; Euacuauit ſe, vt nos impleret; obediens vſque ad mortem, vt nos inobedientes reconciliaret Deo. Nobis itaque natus, quia nobis non modò vtilis, ſed neceſſarius, ad exhibendam videlicet Deo condignam pro peccatis noſtris recompenſationem, quam pura creatura nullatenus poterat exhibere, *Frater non redemit; redimet homo*, Pſal. 48. Vbi Baſilius *Non*, inquit, *homo nudus, ſed homo Deus, qui ſolus pro nobis omnibus propitiationem dare poteſt*. *Niſi enim eſſet verus Deus*, ſubdit M. Leo Serm. 8 de Nat., *non afferret remedium, & niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.*

IN QVARTVM GAVDIOSVM

CHRISTVS PRÆSENTATVR IN TEMPLO.

I.

Qui non aperuit materni clauſtra pudoris,

Legis in obſequium ſiſtitur ille Deo.

Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, Luc. 2. In lege Domini ſcriptum erat, vt omne maſculinum adaperiens vuluam, Domino conſecraretur in Templo, conſecratumque à Sacerdotis Dominio, in quod transferat, redimeretur. Huius legis obſeruatorem ſe præbuit puer Ieſus, qui legem non venerat ſoluere, ſed adimplere. Parentibus deferentibus, Templum ſubijt Templi decor præcipuus: Illis offerentibus, Deo conſecratus eſt coæqualis Deo: Eis redimentibus, redemptus eſt Redemptor vniuerſorum, & quinque ſiclorum exiguo pretio redemptus, vt refert Thom. à Villa nou., qui totum Deum valebat. Attamen hoc mera dignatione factum eſſe credendum eſt: Non enim ea lege tenebatur, qui in proprio, & germano legis ſenſu maternam non aperuerat vuluam. *Porta hæc clauſa clauſa erit, & non aperietur, eritque clauſa Principi*, Ezech. 44. Et Ciril. Ier. Hom. de occ. Dom. *Chriſtus ſolus*, inquit, *ex ſola vnigenitus, cum virginales portas non aperuiſſet, non eſt Sanctus Domino, ſed Sanctus Sanctorum vocabitur, & nunc in Templo à Simeone prædicabitur.*

II.

Res miranda! datur munus pro crimine prolis,

In qua nec fomes criminis eſſe poteſt.

Et vt darent Hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, Luc. 2. O' profunditas Sapientiæ & Scientiæ Dei, Cirillus exclamat: Offert hoſtias, qui per ſingulas hoſtias honoratur cum Patre; figuras legis cuſtodit, qui veritas legis eſt; Legem obſeruat vt homo, qui legis conditor eſt vt Deus. Legem, inquam, illam, qua præcipiebatur offerri ſaltem par Turturum, aut duos pullos Columbarum, vnam quidem in holocauſtum, alterum verò pro peccato prolis, ſeu, vt explicat Caiet., pro expiatione illius quoad fomitem, qui peccatum dicitur eo quòd ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, vt videlicet proles minus prona eſſet ad malum. Sed hoc pariter non iuris, ſed humilitatis officium fuit. Saluator namque, ſicut non fuerat neque potuerat eſſe peccato obnoxius, ita fomitis flagellum non ſenſerat, nec ſentire vnquam poterat, vt Chris. colligit ex illo Pſal. 90. *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Et Auguſt. lib. 2. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 11. *Hunc*, ait, *ſpiritus reſiſtentiam non habere in carne mortali ille tantùm homo potuit, qui non per ipſam ad homines venit.*

III.

In Templo Simeon Chriſtum complectitur vlnis,

Quem gaudet precibus ſollicitaſſe ſuis.

Accepit eum Simeon in vlnas ſuas, & benedixit Deum, Luc. 2. Reſponſum acceperat à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi natam in Chriſto vitam prius videret, cuius aduentum inenarrabili præſtolabatur ardore. Deus ergò, qui fidelis eſt repromiſſor, feſtinauit naſci, vt, templum veniens, piam timorati ſenis coronaret ſollicitudinem, ab eo non modò viſus, ſed & Sacerdotalibus vlnis, inter alterna cordis oſculaque tripudia, pleniori exceptus felicitate. Iucundum ſanè ſpectaculum! Simeon ſenex ferebat Chriſtum infantem; Chriſtus Infans regebat Simeonis ſenectutem. Sed & amabile myſterium! Hinc namque diſcere licet Deum in eius veterumque Patrum ſuſpirijs adeò ſibi complacuiſſe, vt eorum intuitu, ſi non de condigno, ſaltim de congruo, beneficium accelerauerit Incarnationis. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam* Pſal. 11. Et Hailgr: Cant. 6. recolens luctamen Iacob cum Angelo, *Sancti Patres*, inquit, *cum Domino precibus lacrimisq; luctantes, calorem filij ſui Incarnationem velut quada obtinuiſſe victoria, reſpondente illis Domino, ceſſet inſtantia veſtri luctaminis, iam enim naſcetur Aurora, Maria videlicet, qua verum vobis eſt paritura ſolem.*

In

Digitized by Google

IN QVINTVM GAVDIORVM

CHRISTVS INVENITVR IN TEMPLO DISPVTANS.

I.

Linquere ne metuas, Chriſto praeunte, Parentes,

Quisquis amas tota mente vacare Deo.

Remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt Parentes eius, Luc. 2. Duodecim annos natus, Ieroſolymam aſcenderat Chriſtus, Vrbem pacis Rex pacificus, vt illic vna cum Parentibus Paſchali intereſſet ſolemnitati, qui totus erat cauſa ſolemnitatis; & eius adhuc vmbræ ſeruiret, cuius in ſe ipſo veritatem exhibebat. Ipſe namq; iugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnib⁹ ſacrificijs offerebatur. Cumq; conſummati eſſent ſeptem feſtiui dies, Parentes inde abituros latuit, Ibiq; moratus eſt, illis interim abeuntibus, ac fruſtrà inter Cognatos, & Notos eonquirentibus eum, qui & carnali cognatione contineri non poteſt, & omni mortali notitia maior eſt. Diſcant Filij familias, vel hoc exemplo, licitum eſſe ſibi religioſum eligere ſtatum, qui, teſtante Ven. Humb. de Eru. relig. in Prol., per Ieruſalem deſignatur, non expectato Parentum, niſi forte extremè indigentium, aſſenſu. Quod pariter denotauit Iacobus, & Ioañes, qui, *relictis retibus, & Patre, ſecuti ſunt Dominum*, Matt. 4. Vbi Hilarius *Ex*, inquit, *artem & paternam domum relinquentibus docemur, Chriſtum ſecuturi, & ſecularis vitæ ſollicitudine, & paternæ domus conſuetudine non teneri.*

II.

Da mendicati fruſtum guſtare, latentem

Qui Te promeruit paſcere, Chriſte, panis.

Poſt triduum, inuenerunt illum in Templo, Luc. 2. A' Parentibus Ieruſalem regreſſis, in Templo repertus eſt Puer Ieſus. Sane non niſi in Templo Inueniendus erat Sanctus Sanctorum. Portò poſt triduanam in exquirendo ſollicitudinem repertus eſt, qui ab oſcitantibus non patitur inueniri. Interim tamen vndenam vixerit illo triduo, pauperum Parentum ſubſidio deſtitutus, pauperior Filius, incertum ſinit Hiſtoria. Verum credibilius eſt eum, qui pauperrimam vitam elegerat, vt nos paupertate locupletaret ſua, edulia à Ciuibus obtinuiſſe, non tam illis vltro miniſtrantibus, quàm illo oſtiatim emendicante, vt vel hoc primo, quamuis non vltimo, exemplo ſuo mendicitatem commendaret in Religioſo ſtatu, cuius nuperrime, Parentes relinquens, prima veluti fundamenta poſuerat mendicantium Anteſignanus. *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.* Pſal. 39. *Domine Ieſu*, inquit Bernar. Hom. inſr. oct. Epiph. *Quis Te cibauit illo triduo? Quid dicam, Deus meus? Vt Te per omnia noſtra conformares paupertati, quaſi vnus è turba pauperum, ſtipem per oſtia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum participem fieri?*

III.

Cedite, Doctores, Puero iam cedite ſedem:

Doctrina tenero plenus ab vngue fuit.

Inuenerunt illum in Templo ſedentem in medio Doctorum &c. Luc. 2. Fœlix Academia, quæ talem ac tantum meruit habere Doctorem! Fœlices Diſcipuli, ſi ſub tanti talisque Doctoris magiſterio profeciſſent. In medio Doctorum ſedens Chriſtus, Sapientia Patris, eos humiliter audiebat, vt ſublimiter reſponderet: Interrogabat, non vt quicquam addiſceret, ſed vt interrogans erudiret: Diſceptabat, non vt confunderet, ſed vt diſceptando ſpiritum veritatis infunderet. Eius quippe humanus intellectus ab initio conceptionis illuſtratus fuerat, nedum ſcientia beata, qua cognoſcebat omnia præterita, præſentia, & futura, licet non omnia poſſibilia, ſed etiam ſcientia per ſe infuſa, qua præſertim ſecreta cordium penetrabat; erantque in eo *Omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ abſconditi*, ad Coloſſ. 2 *Neque enim*, ait Bern. Hom. 2. ſuper miſſus eſt, *minùs Sapientiæ habuit tenus vinculus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siuè ergò latens in vtero, ſiuè vagiens in præſepio, ſiuè iam grandiuſculus interrogans Doctores in Templo, ſiuè iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè proculdubio plenus fuit Spiritu Sancto.*

IN PRIMVM DOLOROSVM

CHRISTVS ORAT IN HORTO.

I.

Iuſſa Patris flexo veneratur poplite Chriſtus,

Quæ nullis potuit frangere criminibus.

Poſitis genibus, orabat dicens, Pater &c. Verumtamen non mea voluntas, & ſed Tua fiat, Luc. 23. Trans torrentem Cedron Hortum intrauerat cum Diſcipulis Chriſtus, vt de torrente Paſſionis bibere incipiens, peccatum illud, quod à veteri crudeli Patre in horto commiſſum fuerat, nouus & humanior Pater in horto deleret, illiusque rebellionem obedientia redargueret ſua. Vix itaque hortum ingreſſus, ſtatim in genua procumbens orauit Patrem, vt, ſi quidem fieri poſſet, Calix paſſionis à ſe tranſiret, voluntatem tamen Patris impleri enixè rogans, non ſuam. Sinceri profectò cordis hæc poſtulatio fuit. Oportuit namque ſecundum Adam, qui ſe primi Adæ Cenſorem fecerat, tantam habuiſſe cum diuina voluntate conformitatem, vt nunquam eam vllo modo violare potuerit, ſeù quoduis vel minimum crimen committere. *Talis decebat vt eſſet nobis Pontifex Sanctus, innocens, impollutus*, ad Hæbr. 7. *Quis enim*, ait Bern. Ser. 4. vig. Nat., *peccata melius tolleret, quàm is, in quem peccatum non cadit? Ille ſine dubio lauare me poteſt, quem conſtat inquinatum non eſſe. Iſte trabem educet de oculo meo, qui nec exiguum puluerem habet in ſuo.*

II.

Quamquam ſub diro triſtatur agone Redemptor,

Affectus gaudet ſanctificaſſe Tuos.

Factus in agonia, prolixiùs orabat, Luc. 23. Illos fatiſcentis animi motus, qui fuerunt in Chriſto orante, quique à ceteris Euangeliſtis vario nomine, pauoris videlicet, tedij triſtitiæue nuncupantur, Euangeliſtarum Medicus Agoniam appellat, vt, notante Gloſſa ibi, extremos fuiſſe deſignet. Quocumque autem nomine vocandi eſſent, hoc indubium fecerunt, ſcilicet Verbum Diuinum, quod non carnem ſolam, ſed & animam aſſumpſit humanam, verè pariter aſſumpſiſſe paſſiones, ſeu affectiones eius, licet imperfectionibus illis, quibus ſcatent prout ſunt in nobis, exquiſitiſſimè defecatas, & admirabili Diuinitatis comercio pleniſſimè conſecratas. *Per omnia debuit Fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret*, ad Hæbr. 2. *Ipſe Dominus*, inquit Auguſt. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 19., *in forma ſerui vitam agere dignatus, humanitùs adhibuit paſſiones animæ, vbi adhibendas eſſe iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Habemus & nos huiuſmodi affectus ex humanæ conditionis infirmitate, ipſe autem ex poteſtate diuina.*

III.

Exijt à Chriſto copioſa Redemptio, ſudor

Quam notat effuſus corpore ſanguineus.

Factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in Terram, Luc. 23. In horto quærebat primum hominem Chriſtus, vt eum, quem nudum ſciebat, ſplendido diuinæ gratiæ ſuperueſtiret amictu. Quarè, cùm præ anguſtia cordis defeciſſet vox, qua latentem vocaret, vocaliorem adhibuit ſudorem ſanguineum, ad terram vſque diffuſum in riuulos, iterum atque iterum exinde clamantes, Adam, Adam, vbi es? Sudor enim ille adeò copioſè è Saluatoris corpore diffluens, nō tàm expreſſit exuberantem animi eius angorem, quàm denotate potuerit largitatem ſatisfactionis, quam paſſione ſua venerat exhibere pro peccatis humani Generis, pro quibus nedùm æqualem, ſed et ab intrinſeco ſuperabundantem exhibuit. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, ad Rom. 5. Vbi Chriſoſt. Hom. 10. *Si quis*, inquit, *propter debitum decem nummorum, in carcerem coniiciatur, veniat autem alius, qui innumera auri talenta largiatur, vinctumque in regalem aulam inducat; ita & nobiſcum factum eſt: multò enim plura, quàm debebamus, Chriſtus pro nobis ſoluit, tantoque pluta, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immenſum.*

In

IN SECVNDVM DOLOROSVM

CHRISTVS FLAGELLIS CÆDITVR.

I.

O' qualem pateris, dulciſſime Chriſte, dolorem;

Dum carnes tundunt dira flagella Tuas.

Tradidit Ieſum flagellis caſum, vt crucifigeretur, Marc. 15. Proprio relicto iudicio, quo Saluatoris innocentiam abſoluerat, maluit Pilatus in crimen tranſire alienum, ipſum tanquam reum turpiſſima Crucis morte condemnans, vt iniqui populi tumultuantis, quem Dominicæ fecerat arbitrum cauſæ, petitionibus indulgeret. Quia verò ſancitum erat Romanis Legibus, vt cruci affigendi flagellis prius cęderentur, militibus Ieſum tradidit flagellandum, eis adeò alacriter exequentibus, vt violentia verberum ſaniam diſrumpens cutim, Teſte Auguſt., carnemque conſcindens, acerbiſſimum in eo dolorem cauſaret. Neque enim ab eo, in quo erant cum vero corpore omnes ferè corporales defectus, verus abeſſe poterat ſenſibilis dolor, ex leſione corporis & ſenſu læſionis ortus, inuicta fortitudine ſuperandus. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, Isaiæ 53. Et Ambr. lib. 3. de Trin. cap. 2. *Nuſquam*, inquit, *magis pietatem eius demiror. Debuit dolorem ſuſcipere, vt vinceret; Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum ſuſtinent, quàm dolorem.*

II.

Cuncta flagella tulit Chriſtus, qui ſanguinis are

Soluit inexhauſto debita cuncta ſui.

Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui, Psal. 34. Supra dorſum Chriſti, in cuius perſona regius loquitur Vates, congregata dicuntur flagella, hæcque ab eo ignorata, ad exprimendam copiam, non tàm verberum, quæ ſuſtinuit æquanimitèr, quàm peccatorum, pro quibus elacriter ſatisfecit, vt notat Hier. ex illo Psal. 31. Multa flagella peccatorum. Eius quippe ſatisfactio, cum fuerit valoris ſimplicitèr infiniti, ita ſine ſui diminutione commune omnium compenſauit peccatum, vt ſingula etiam compenſauerit ſingulorum, tota omnibus, & tota ſingulis inexhauſta redemptio. Vnde hanc, quam omnibus communem dixerat Apoſtolus ad Rom. 3. *Omnes iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, peculiarem ſibi facit ad Gal. 2. *Tradidit ſemetipſum pro me.* Et Saluian. lib. 1. ad Eccl. Cathol. *Chriſtus*, inquit, *ſicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis; & totum ſe dedit vniuerſis, & totum ſingulis: Ac per hoc, quicquid paſſione ſua Saluator præſtitit, ſicut totum ei debent vniuerſi, ſic totum ſinguli; niſi propter hoc plus ſinguli, quàm vniuerſi debeant, quòd tantum acceperint ſinguli, quantum vniuerſi.*

III.

Patre iubente tulit laniantia verbera Chriſtus;

Attamen & propria ſponte tuliſſe reor.

Ego autem in flagella paratus ſum, Psal. 37. Grandis amor! Se in flagella paratum profeſſus eſt Chriſtus per os Dauid, vt cordis ſui erga nos commendaret propenſionem, qua verberari voluit in corpore, vt nos à verberibus animæ liberaret. Quàm grauia verbera, per quibus Dominus paſſus eſt verberari! Sed & liber amor! Paratum quippe in flagella ſe dicit, pleniſſimam pariter indicans libertatem, qua ſuam, tàm graui laniena, paſſionem proſequebatur, & moriens conſummaturus erat. Et ſanè, paterno adhuc ſtante præcepto de paſſione obeunda, ita paſſus eſt, vt liberrimè paſſus ſit, & ſi voluiſſet obniti, nihil impiæ manus potuiſſent; quamquã redemptio dilata fuiſſet, & nullũ ſaluaſſet illæſus, qui pro omniũ erat ſalute moriturus. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo; & poteſtatem habeo ponendi eam, & iterùm ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo*, aiebat Saluator Ioan: 10. Vbi Auguſt. tractat. 119. *Quis*, inquit, *ita dormit, quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem deponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit? Quis ita, cùm voluerit, abit, quomodo, cùm voluit, obijt?*

In

IN TERTIUM DOLOROSUM

CHRISTUS SPINIS CORONATUR.

I.

Vir, cui ſpinoſum præcingit tempora ſertum,

Omnia regali ſubdita iure tenet.

Conuocant totam cohortem, & imponunt ei plectentes coronam ſpineam, Marcum. 15. Quem hominum non pudeat membrum fieri delicatum ſub Capite ſpinoſo? Poſtquàm verberibus deſæuitum à militibus fuerat ad ſatietatem in membra Chriſti, nouum & omnibus retrò ſæculis ignoratum tormenti genus, proprio ſtudio proprioque arbitrio adhibuere, quo in caput eius deſæuirent, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas: Coronam videlicet impoſuere, præacutis contextam ſpinis; tota ad ſpectaculum conuocata cohorte, vt vel ipſa multitudine ſpectatorum ſulcimdior crudelitas appareret. At nolentes profeſſi ſunt eum, quem coram tota cohorte quaſi theatralem vngebant in Regem, regiam in omnia poteſtatem directam non ſolùm ſpiritualem, ſed & temporalem, aptiſſime diademate Spineo ſignificatam, habere, ut verè habuit etiam in quantum homo. Vndè Apoc. 2. ille ipſe, qui *Primogenitus mortuorum* dicitur, qualis profectò eſt quatenus homo, vocatur *Princeps Regum terræ.* Succinit Auguſt. tract. 14. in Ioan. vbi regium Crucis titulum legens *Crucifixus,* inquit, *erat quidem Rex, non talis, qualis ab hominibus fit, ſed talis ut homines Reges faceret.*

II.

Non hominem tantùm (res dictu horrenda!) ſed ipſum,

Qui caput eſt Chriſti, plectit arundo Deum.

Percutiebant Caput eius arundine, Marc. 15. Si facti ſuperficies attendatur, quanta crudelitas! Sacroſanctum Saluatoris caput arundine percutiebant milites, vt ſenticoſa ſpinarum acumina, quibus redimitum erat, ſecutiùs intimiuſque deſæuire docerent. Sed ſi myſterium ſpectetur, qualis audacia! Caput Chriſti percutiebant, notante Beda, quia diuinitati eius aduerſabantur. *Caput enim Chriſti Deus* prim. ad Corin. 11. An ergo percuſſo Redemptoris capite, Deus impaſſibilis dicendus erit percuſſus? Ita sanè. Tanta quippe tàmque ſincera fuit idiomatum communicatio inter diuinitatem Chriſti eiuſque humanitatem, vt quamuis ſecundùm hanc pateretur, verè dici poſſit Deum eſſe paſſum, eo patiente. *Putauimus eum quaſi percuſſum à Deo,* ſeu, vt habet textus Hæbraicus, *quaſi percuſſum Deum.* Iſaiæ 53. Et Bernar. Ser. 3. Vig. Nat. *Nihil eſt, Deo ſublimius, nihil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignatione limus aſcendit in Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur, & quicquid limus pertulit, Deus in eo pertuliſſe dicatur.*

III.

Flecte genu, vera Chriſtum venerare latria;

Quem ficto miles flexus honore colit.

Ponentes genua, adorabant eum, Marc. 15. Quod ſupremo, ſed irriſorio cultu faciebant milites erga Saluatorem, quem nouiſſimum virorum omnium habebant; hoc ſumma, ſed ſincera erga ipſum religione faciendum à nobis eſt, qui Deo reuelante cognouimus in eo plenitudinem Diuinitatis corporalitèr inhabitare. Chriſtus videlicet adorandus eſt omnium excellentiſſimo cultu Latriæ; ita tamen, vt hoc vno & eodem indiuiſo cultu totus quantus eſt adoretur, non modò Diuinitatem adorando, ſed coadorando paritèr Humanitatem, quæ diuinitate vnita, ſubſtantiali Sanctitate perfuſa, & ad eſſe Diuinum euecta eſt, tàm ineffabili, quàm incomprehenſibili Sacramento: Cum enim hæc per admirabile Incarnationis commercium facta ſit natura Verbi, profectò tàm benè Verbum fecit eam adorabilem, quàm fecit ſuam. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam Sanctum eſt,* Pſal. 98. Vbi Auguſt. *Caro,* inquit, *à Verbo Dei aſſumpta ſine impietate adoratur à nobis; quia nemo carnem eius manducat, niſi priùs adoret. Sed qui adoras, non terram intueris, ſed illum potiùs, cuius ſcabellum eſt, propter quem adoras.*

In

IN QVARTVM DOLOROSVM

CHRISTVS BAIVLANS CRVCEM DVCITVR AD MORTEM.

I.

Tollens, Chriſte, Crucem, rigida ſub pondere tollis

Iuſtitiæ pretium, Debita noſtra luens.

Baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Ioan. 19. Si ſpectaret impietas, grande ludibrium! Si pietas, grande myſterium! Ridebat impietas Regem, pro virga Regni, lignum ſui portare ſupplicij. Videbat pietas Regem ſub ligni pondere ferme deficere, quo tyrannicum humani generis Regem, peccatum ſcilicet, inſeparabiliter oppreſſurus erat, ſeruatis adamuſſim legibus æquitatis. Et vere à tyrannide tàm immani erepti ſumus per Crucem, qua Regius Fideiuſſor noſter ſolutionem redemptiuam, rigidæ iuſtitiæ characteribus obſignatam, de theſauris ſuis dignatus eſt exhibere Deo creditori. Poſtquam te tàm iuſto & nobili pretio redemptum agnoſcis, ò homo, noli te amplius iniquo & vili pretio exhibere venalem. Audi ſæpiùs Ambroſ. in Pſal. 118., vbi conferens illud ad Coloſſ. 2. *Delens quod aduersùs nos erat Chyrographum decreti*, cum illo Sapien. 14. *Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia Iuſtitia*, inquit, *quæ eſt Crucis! Niſi quòd aſcendens illud patibulum Dominus Ieſus, peccatorum noſtrorum Chyrographum crucifixit, & totius Orbis peccatum ſuo cruore mundauit.*

II.

Quisque cupis propriam, Chriſto donante, ſalutem,

Eſto Simon, Chriſti Tu quoque tolle Crucem.

Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt Ieſum, Luc. 23. Myſterio certe non caruit, quòd milites impoſuerint Simoni portandam Crucem, quam mente quidem alacri, ſed incuruo corpore, genibus tremulis, labili greſſu, demiſſis oculis, ſudante fronte, corde præ deliquio labaſcente, inter crepitantes collidentium armorum ſonitus, confluentis multitudinis tumultuoſos clamores, micantium haſtarum fulgores, ſemiuiuus, ſemimortuus, ſed magis peccatorum ſarcina prægrauatus, quàm onere obliſus portabat Chriſtus, tanquam nobile triumphi ſui trophæum. Scilicet à nobis etiam portari voluit Crucem ſuam, qui nobis paſſionẽ ſuam voluit non fieri ſalutarem, niſi noſtro veluti compaſſiuo labore conſummante Salutem. *Adimpleo quæ deſunt Paſſionis Chriſti*, ad Coloſſ. 1. Et D. Petr. in illud Matt. 20. *Poteſtis bibere calicem, quem Ego bibiturus ſum? Poculum*, inquit, *immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate humana, & virtute diuina, habet quidem in ſe quid omnibus proſit; Sed ſi non bibitur, non medetur.*

III.

Vt reus ad mortem, gemino ſociante Latrone,

Iudex Cunctorum ducitur innocuus.

Ducebantur & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur, Luc. 23. Verè ignominiam Saluatoris Cruci addicti conſummare vltrò parabant, qui duos pariter Cruci affigendos Latrones cum eo trahebant, ſocium eorum in ſupplicio facturi, qui ſocius non erat in crimine. Sed veriùs gloriam eius nolentes præludebant Latrono illo gemino, quorum alterum à dextris, alio à ſiniſtris pereunte, ſaluaturus erat in cruce pendens. Et vi deſiret, talem ac tàm extremam inter duos diſcretionem facturo, parabatur occaſio manifeſtandæ vel in paruulo poteſtatis illius, quam in ſede maieſtatis apparens, oſtenſurus erit in omnes, alios ad dexteram beatificandos, alios ad ſiniſtram damnandos, irreuocabili collocans diſcretione, Ille enim erat, cui, etiam vt homini, ſpecialiter competit iudiciaria poteſtas in viuos & mortuos, in fine ſæculorum exercenda. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*, Ioan: 5. Et Auguſt. Serm. vlt. de Verb. Dom: *Ad iudicium*, ait, *forma hominis ventura eſt; Forma illa iudicabit, quæ iudicata eſt. Sedebit Iudex, qui ſtetit ſub iudice. Damnabit verò reos, qui falsò factus eſt reus.*

IN QVINTVM DOLOROSVM

CHRISTVS CRVCI AFFIGITVR INTER DVOS LATRONES.

I.

Milite deluſo, Crucifixi Nomen adorans,

Poſt Crucis opprobrium, flectitur omne genu.

Poſtquàm peruenerunt ad locum, qui vocatur Caluaria, crucifixerunt eum, Luc. 23. Monte conſcenſo, Veſtes cruentas carni Saluatoris adhærentes, renouatis vulneribus, vel potius vnica totius corporis obducta cicatrice refricata, audaci impudentia milites extraxerunt. Nudum deinde in lecto Crucis compoſuere, ibique ſtratum ferreis clauis manus pedeſque ſaffixerunt tanta extorſione, vt ſacrum pectus luxatum ſuaque ſede depulſum fuerit. Poſtremo, non ſine maxima cerebri cordiſque concuſſione, ſuffixum corpus feſtiua impietate erexere, ſibi ſuniceni gratulantes quòd morituri nomen tam celebris perpetuò dehoneſtaſſe infamia. At vana gratulatio. Moriens namque Saluator ſui nominis exaltationem promeruit ſibi. *Factus eſt obediens &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in Nomine Ieſu omne genuflectatur &c*, ad Philip. 2. & Bern. Serm. 2. de Aſc. *Chriſtus*, inquit, *cum per naturam diuinitatis non haberet quo creſceret vel aſcenderet, quia vltra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret inuenit, veniens incarnari, pati & mori, propter quod & Deus &c.*

II.

Quam dat Latroni moriens Tua Vita Salutem,

Hanc Tibi morte ſua promeruiſſe ſcias.

Amen dico Tibi, hodie mecum eris in Paradiſo, Luc. 23. Quis potentiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto longorum ſcelerum reatus abolitus eſt; & cui propria impietas intulerat pœnam, aliena pietas coronam dedit. Chriſtus videlicet moriturus Latronem ſupplicem, à dextris eius pendulum, à peccatis plenariè abſolutum, ſumma dignatione ſalutuit. Quo notum fieret ipſum non modò gratiam, diſpoſitiones proximas & remotas ad ipſam, auxilia ſupernaturalia ceteraque naturalia prout ad ſupernaturalia ordinantur, ſed & gloriam paſſione ſua nobis promeruiſſe, noſque humilitate ſua ſubleuaſſe, ſuaque oratione magnificaſſe, morte viuificaſſe, ignominia glorificaſſe. *Habemus fiduciam in introitum ſanctorum in Sanguine Chriſti Ieſu*, ad Hebr. 10. Et Bern. in extremis laborans, eadem fiducia roboratus *Fateor*, aiebat, *indignus ſum Regno Cœlorum. Sed duplici iure obtinens illud Dominus meus, hæreditate Patris, & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donauit, cuius beneficio illud mihi vindicare non erubeſco.*

III.

Antiquæ legis Chriſti mors diſſipat Vmbras,

Scindit vbi Velum Sacra colenda tegens.

Velum templi ſciſſum eſt medium, & clamans voce magna expirauit, Luc. 23. Inferius deſcendere non poterat dominicæ abyſſus humilitatis. Parum illi erat hominem eſſe factum, niſi etiam cadauer fieret. Interim verò interiori miraculo, quo Saluator moriturus Latronem conuertetat, exterius hoc inter plurima ſingulare adiecit moriens, quo Iudæorum redargueret cæcitatem. Velum templi videlicet à ſummo vſque ad ima diſruptum eſt, vt Synagogam agnoſcerent antiquo vel ex tunc honore nudari, legemque ſuam, Chriſto expirante, penitus expiraſſe. Quamuis namque moſaica lex tunc ſolum cæperit eſſe mortifera, quando cœpit lex euangelica promulgari, attamen tunc ſtatim mortua eſt, cum primum viuere deſijt Euangelicus Legiſlator, qui idcircò expiraturus aiebat *Conſummatum eſt*, Io. 19. & M. Leo Serm. 7. de Paſſ. *Vt ergò umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantio nouo excluditur Sacramento, Hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur.*

In

IN PRIMVM GLORIOSVM

CHRISTVS RESVRGIT A MORTVIS.

I.

O' Mors; Te Chriſtus propria Virtute peremit,

Quem dederas, ipſo diſſimulante, neci.

Ieſum quæritis Nazarenum, Crucifixum: ſurrexit non eſt hic, Marc. 16. Sanctis Mulieribus, quę fruſtrata ſollicitudine, Corpus Redemptoris in monumento quæſiuerant, conſpicuum ſe fecit Angelus, eiſque Dominicæ nunciauit gaudia Reſurrectionis. Primò quidem tacito aſpectus ſui ſermone vtens: Candido namque tegebatur amictu, quo ſuæ communiſque lætitiæ diem illuxiſſe denunciabat: Iuuenili ſpecie decorus erat, vt floridam in ea legerent Chriſti reſurgentis ætatem: Sedebat in dextera ſepulcri, vt eum, quem ſepultum nouerant, ad perpetuam diſcerent ſurrexiſſe vitam, quæ per dexteram deſignatur. Sed cùm hoc non ſuffeciſſet mulieribus erudiendis quarum mentes paſſionis procella turbauerat, prælibatis deinde vocibus vſus eſt, quibus quamuis non expreſſerit qua virtute Dominus reſurrexiſſet, propria tamen reſurrexiſſe credendum eſt. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud: Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*, Ioann: 2. Et M. Leo Serm. 1. de Nat. *Suſcipitur, ait, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; vt vnus & idem Dei & hominum mediator, & mori ex vno, & reſurgere poſſet ex altero.*

II.

Quàm benè præ cunctis rediuiui gaudia Chriſti

Miſſa Petro! cunctos nam præit ipſe gradu.

Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, Marc. 16. Congruum ferè erat vt mulier, quæ prima nuncium mortis ad hominem detulerat, prima etiam ſpem vitæ in reſurrectione Domini nunciaret. Quamobrem Sanctas mulieres prælegit Angelus, quæ hac tàm iucunda legatione fungerentur apud Chriſti diſcipulos, quorum animos præ ignominia paſſionis eius, compaſſiuus mæror penè confecerat. Benè autem Petro nominatim denunciari iuſſit Dominicam reſurrectionem, cæterorum ſuppreſſo nomine diſcipulorum, vt potiſſimo inter eos dignum honore monſtraret: Ille enim erat, quem ſolum, ſpeciali prærogatiua dilectionis eximium, totius Eccleſiæ ſuæ viſibilem Prothopaſtorem conſecraturus erat Saluator hinc abiturus, & conſecrauit Io. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his? Paſce agnos meos, paſce oues meas, Priùs agnos*, inquit Eucherius Serm. de Natiu. Io., *Deinde oues Petro commiſit Dominus, quia non ſolùm Paſtorem, ſed & Paſtorum Paſtorem conſtituit. Paſcit Petrus agnos, paſcit & oues; paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos & prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos & oues in Eccleſia nihil eſt.*

III.

Prima reſurgentem Dominum fidiſſima vidit

Magdala, ſed poſtquam viderat Alma Parens.

Surgens Ieſus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, Marc. 16. Mariam Magdalenā incredibilis adeò erga Chriſtum vis amoris accenderat, vt quamuis monumentū eius, à quo cæteris recedentib⁹ non receſſerat, corpore vacuum vidiſſet, & ſublatum dominum nunciaſſet, tamen iterùm exquirebat, iterùm ſe inclinabat, iterùm videre deſiderabat, quia amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit, & vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Vnde meritò ſpeciali hac tedamaris animi ſignificatiue a prædilecto ſuo meruit honorari, quod ſcilicet ei primitùs manifeſtum ſe fecerit rediuiuus. Primitus, inquam, inter oculates teſtes ad euulgandam reſurrectionem à Deo præordinatos, non verò inter omnes: Æquum quippe eſt credere Sanctiſſimam eius Matrem, quæ cæteris omnibus præcipua in filium dilectione præſtabat, prima etiam et potiora reſurgentis filij repenſa dilectionis ſigna ſenſiſſe, vt ex illo Pſal. 136. *Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ* colligit Simon de Caſſia l. 14. de reſurr. vbi *Si Virgo*, inquit, *prima fuit, quæ vidit & adorauit Chriſtum natum, conueniens erat vt prima videret eum renatum & reſuſcitatum.*

In

IN SECVNDVM GLORIOSVM

CHRISTVS CÆLOS ASCENDIT.

I.

Dextra Paterna datur ſcandenti ſydera Chriſto,

Quam ſibi profuſo ſanguine promeruit.

Videntibus illis, eleuatus eſt, Act. 1. Quibus videntibus? Non Apoſtolis modò, ſed & potiori iure Beatiſſima Virgine Maria, teſte inter alios Anſel. lib. de excell. Virg. c. 7. Decebat enim eam potiſſimum triumphantis Filij ſui gaudijs intereſſe, quam præ omnibus in eius paſſione doloris gladius pertranſierat, vt ſecundum multitudinem dolorum diuinæ conſolationes animam eius lætificarent. His ergò ſpectantibus, è terra leuari feſtinauit Saluator, vt eò tenderet, vnde venerat; Et Cælos omnes, omnesque Angelorum ordines prætergreſſus, ad Patris dexteram ſingulari priuilegio conſederet, qui tam profunda humiliatione, de torrente paſſionis bibens, io tantam prouehi meruerat ſublimitatem, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, Pſal. 109. Vbi Auguſt. Dominum aſcendentem alloquens, *Vt reſurgeres*, inquit, *mortuus es: vt aſcenderes, reſurrexiſti; vt ſederes ad dexteram Patris, aſcendiſti. Ergò vt ad dexteram Patris ſederes, mortuus es, de morte enim reſurrectio, de reſurrectione aſcenſio, de aſcenſione, ad dexteram ſeſſio. Hoc totum ergò capit à morte; excellentia claritatis huius principium habet humilitatis,*

II.

Quamquam Chriſtus abeſt velamine nubis ademptus,

Semper adeſt Petrus, quo Duce cuncta regit.

Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, Act. 1. Chriſtum aſcendentem ſuſcepit nubes, non vt veheret quem propria vehebat virtus, ſed vt, obumbratis intuentium oculis, velut miniſtra fieret præripiendæ ipſis corporalis præſentiæ Saluatoris. Quod quidem eis, totique in poſterum eccleſiæ ſuæ vtile fuit: vt videlicet & Fides, quæ eſt de non viſis, amplius haberet meritum, & ſpes ſubleuaretur membrorum eò peruenire confidentium, quò præceſſit caput; Et in Cœlum erigeretur charitas, quæ ibi cor ſuum figere tenetur, vbi eſt theſaurus ſuus. Porrò vt regendæ viſibiliter Eccleſiæ ſuæ perpetuò conſuleret Saluator abſcedens, ita primatum eius viſibilem reliquit Petrum, vt quamuis non ſemper viueret Petrus, ſemper tamen viueret auctoritas Petri in legitimis ſucceſſoribus eius, in quibus viueret & Chriſtus perenniter Eccleſiam ſuam eorum viſibili miniſterio regens, vt hinc diſceſſurus promiſerat Matt. 28, *Ecce ego vobiſcum ſū vſque ad conſummationem ſeculi*. Vnde M. Leo Serm. 2. de ſua aſſumpt. *Soliditas, ait, illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe laudata eſt, perpetua eſt: & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita & quod in Petro Chriſtus inſtituit.*

III.

Gaude, Sancta cohors, iterùm viſura magiſtrum

Corpore geſtantem Vulnera ſacra ſuo.

Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum, Act. 1. Quamuis incredibili pernicitate Chriſtus aſcenderet, Diſcipuli tamen conabantur oculo ſequi abeuntem, quem gerebant corde præſentem. Sed fruſtratam eorum ſollicitudinem, quam redarguerat nubes, iterum redarguere venit geminus in veſte candida cæleſtis Ales, præter iſtis videlicet vocibus, quæ tamen non modica erant conſolatione reſperſæ, dum eum, quem ereptum dolebant ſibi, rurſus in eadem ſpecie glorioſa promittebant videndum ab eis, nedùm regnantem in Cælis, ſed & iudicantem in Terris. An forte etiam cum cicatricibus videndus erat Saluator? Ita ſane; Eas namque in reſurrectione, poſtquam in eius corpore nulla contigit mutatio, ſeruauerat ſibi, ad confirmanda potiſſimum corda Diſcipulorum. Vnde Thomæ dubitanti dixit Io, 20, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus* Et M. Leo Serm. 1. Aſc. *Ad ſananda*, inquit, *infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant ſeruata veſtigia, vt conſtantiſſima ſcientia teneretur eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno, quæ iacuerat in ſepulcro.*

In

IN TERTIVM GLORIOSVM

SPIRITVS SANCTVS DESCENDIT SVPER APOSTOLOS.

I.

Spiritus aduenienſ Amor eſt & Doctor amoris,

Quem fert viſa ſacris ignea lingua Viris.

Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, Act. 2. Hora erat tertia diei Pentecoſtes, quando Apoſtolis in Cœnaculo congregatis & orantibus, præuio repentino vehementique ſonitu conſpicuum ſe præbuit Spiritus Sanctus ſub noua illa igneatum ſpecie linguarum. Noua, inquam, ſed exprimendis characteribus eius inter cæteras accommodatiſſima. Videlicet ignis eſt ille Spiritus, qui Amor eſt, cum per voluntatem Spirantium Perſonarum ſeinuicem diligentium procedat, ex quo nomen & rem ſortitur Amoris, non verò Filij. At non modò ignis eſt, ſed & ignis eloquens eſt, qui flammante quoddam ſuſurro ſanctas animas amorem edocet, & edocendo fortiter atque ſuauiter ipſis infundit. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ad Rom. 5. *O geminum*, exclamat Bern. Epiſt. 107, *ipſumq; firmiſſimum ergà nos amoris argumentum! Chriſtus mittitur, meretur ergò amari; Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iſte vt ametur. In illo cernimus quod amemus, ab iſto ſumimus vnde amemus. Charitatis ergò ab illo occaſio, ex iſto affectio.*

II.

Concilium generale regit Virtute perenni,

Qui ſuprà Apoſtolicum ſedit in igne Chorum.

Seditq; ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus, Act. 2. Seſſionis nomine ſtabilitatem ſignificari nemo ambigit. Quid ergò eſt quòd Spiritus Sanctus in igneis linguis ſupra ſingulorum capita Diſcipulorum ſediſſe dicitur? Niſi quòd diuinus ignis, geminà veluti eloquentia diſſectus ardoris & lucis, magiſterio ſuo non tantùm Apoſtolici cordà Senatus inflammare venerat, ſed & mentes eorum perenniter illuminare, ne vnquam vel minimo tenerentur errore in euulgandis per vniuerſum mundum Legis Euangelicæ Oraculis. Hinc liceat inferre Concilia Eccleſiæ generalia legitimè congregata, cuiusmodi duntaxat ea ſunt, quæ Romani Pontificis auctoritate ſuprema conuocantur, perpetua gaudere eiuſdem Sancti Spiritus aſſiſtentia, periculum erroris in expediendis Catholicæ Fidei negotijs ab omnibus Sacrorum Iudicum mentibus illo abigente, qui Spiritus eſt veritatis. *Dabitur vobis in illa hora quid loquimini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, Matt. 8. Vndè M. Leo Epiſt. 70. loquens de rebus in Concilijs Nicæno & Chalcedonenſi diffinitis; *Nullum*, inquit, *audemus retro tractatum, quaſi dubia vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas.*

III.

Excipe Diuinum Flamen, ſacer Ordo, Magiſtri

Quod Tibi feruenter obtinuere preces.

Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui, Act. 2. Quod corda menteſque Apoſtolorum adeò replere venerit ignis ille Diuinus, vt ſtatim, duplicem eius facundiam edocti, ardentia pariter & lucentia verba ex interiori abundantia cœperint exterius eructare, principaliter quidem debetur indulgentiæ Patris & Filij, ad quorum vtrumque tanquam ad vnum principium, ſicut pertinet ſpirare, ita & mittere Spiritum Sanctum. Attamen impetratoriè debetur orationi Chriſti vt hominis, qui, migraturus hinc, promiſerat ſe rogaturum Patrem, vt ſecum ipſo vt Deo Paraclytū Diſcipulis mitteret. Quemadmodum namque Sacerdos veteris legis, Sanctuarium ingreſſus, Deum pro populo interpellabat; ita ſummus æternuſque nouæ legis Sacerdos Chriſtus, in Cœlo regnans, non interpretatiuè duntaxat, ſed verè & propriè Deum pro nobis confidenter exorat, & fœliciter impetrat. *Saluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*, ad Hebr. 7. Vbi Ambr. ait *Chriſtus reſurgens ſemper cauſas noſtras agit apud Deum, cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt.*

In

IN QVARTVM GLORIOSVM

BEATA VIRGO ASSVMITVR IN COELVM.

I.

Interea vt poſſet teneros nutrire Fideles,

Poſt Chriſtum petijt ſcandere Virgo polum.

Hodie Maria Virgo Cælos aſcendit. Eccleſ. in off. Aſſumpt. Quaſi dicat, exponente Damaſceno Hodie ſacra & animata Dei viuentis Arca, quæ ſuum in vtero concepit Creatorem, recipitur in templo Domini, quod nullis manibus extructum eſt. Hodie Eden noui Adam Paradiſum ſuſcipit animatum, in quo ſoluta eſt noſtra condemnatio, in quo plantatum eſt lignum vitæ, in quo operta eſt noſtra nuditas. Quod autem Hodie, iдeſt poſt plures annos ab aſcenſione Chriſti, non verò ſimul cum Chriſto, Mater eius in Cœlum aſſumpta eſt, non tam Deo congruè diſponente contigit, quàm Virginis charitate impetrante; vt ſcilicet quæ Chriſtum gubernarat infantem, naſcentem regeret Chriſtianiſmum, ipſumque & verbis erudire, & exemplis alere poſſet ad currendam ſecum viam ſalutis. Adſtipulatur Guilhel. in illud Cant. 1. *Trahe me poſt Te, curremus in odorem. Non dixit*, inquit, *ergo Trahe me tecum, ſed poſt Te, quæ charitatem ſuam ergà homines manifeſtat. Non potuit cum Filio Cœlum aſcendere, quia ſua hæc eſſe commoda poſtponebat, ſermonibus ſuis de Myſterijs plenius erudiendo, & exemplis ad ſpiritualem profectum excitando.*

Lætitia replet Mentes pia Virgo ſupernas,

Vermibus inuiſum Corpus ad aſtra ferens.

Aſſumpta eſt Maria in Cœlum, gaudent Angeli, Eccl. in off. Aſſump. Virgo glorioſa Cœlos aſcendens, ſupernorum gaudia Ciuium copioſis ſine dubio cumulauit augmentis. Illa enim erat, cuius ſalutationis vox & ipſos fecerat exultare, quos materna adhùc viſcera concludebant. Quod ſi paruuli Ioannis nondum nati anima liquefacta fuit, vt Maria locuta eſt; quid putamus quænam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum beata eius præſentia perfrui meruerunt? At quænam cauſa lætitiæ tàm exundantis? Ea ſanè potiſſimum quod non animam dumtaxat, ſed & corpus prædefunctæ Reginæ ſuæ tantum vidiſſent honorari, quantum decebat, vt ſcilicet ipſum quoque transferretur in Cœlum, poſtquam fuerat Cedrina incorruptibilitate ſeruatum. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano* Eccl. 24. *Illud ergò ſacratiſſimum corpus*, ait Aug. tract. de Aſſump., *de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, eſcam vermibus traditum communi ſorte putredinis, & futurum de vermibus pulverem, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco. Quomodo enim*, ſubdit Damaſc., *corruptio corpus illud inuaderet, in quo Vita ſuſcepta eſt.*

III.

O' Te quanta beat præ cunctis Gloria, Virgo,

Quæ ſuper Angelicos tolleris vſque Choros!

Exaltata eſt S. Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum, Eccleſ. in off. Aſſump. Verè ſuper Angelorum Choros exaltata dicitur B. Virgo triumphans, quia in tantam ſubitò promota eſt felicitatem, vt ſpecialem veluti Hierarchiam & Chorum ſola ipſa conſtituat, non hominum modò, ſed & Angelorum beatitati ſuperiorem. Quamuis namque ipſius beata Viſio eiuſdem eſſentialis ſpeciei ſit cum Angelicis Viſionibus, & æquè ac illæ indiſpenſabiliter fiat per creatum lumen intrinſecum; incomparabiliter tamen cumulatius eſt, ſicut incomparabiliter cumulatius eſt lumen, cui duntaxat, tanquam adæquatæ rationi proximæ videndi, correſpondet perfectio viſionis. Tanta profectò gloria matrem ſuam locupletare potuit Rex gloriæ. Quidni voluit, qui eam ſuper omnia diligebat, & viciſſim diligebatur ab ea? Vnde meritò & ipſi cæleſtis curiæ Principes admirabundi exclamauere Cant. 4. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum*. Et Petrus Dam. Serm. de Aſſumpt. *Virgo*, inquit, *inter Angelorum Choros ſupereminens, meritis ſingulorum & titulos antecedit: & ſic Spirituum habens dignitatem, vt ſint, quod non ſunt.*

Digitized by Google

IN QVINTVM GLORIOSVM

BEATA VIRGO CORONATVR VNIVERSORVM REGINA.

I.

A dextris Chriſti meritò pia Virgo locatur:

Tanto digna loco Regia Mater erat,

Veni de Libano; veni, coronaberis, Cant. 1. Mariæ Virgini Cœlorum limina ſubeunti æquum eſt credere Filium ſuum innumero plaudentium ac ſtupentium Beatorum exercitu comitante, feſtiuum illicò obuiaſſe, eamquè eloquio ſuper mel & fauum dulciori ſalutaſſe. Sanè quidni talis reuerentiæ ſimul & amoris officia ergà talem Matrem talis Filius impleret? Poſt hæc, pie notante Guarr. Abb., ad præparatam à ſæculis Thronum præmiſſis eam vocibus inuitauit, & duxit, regio diademate coronandam. Et qualem Thronum! Mirentur Cœli, plaudat terra, Infernus contremiſcat. Idem quippe Thronus Filij fuit & Matris: niſi quòd digniorem in colocum regius Filius cedere dignatus eſt regiæ matri, quæ ſedit ad dexteram eius. Non ſatis glorificatus ſibi videbatur Filius, niſi matrem adeò dignam amplius glorificaſſet. *Aſtitit Regina à dextris Tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate* Pſal. 44. *Vſquè ad ſummi Regis Thronum es ſublimata*, Virginem alloquitur Aug. Serm. de Aſſump. *Vbi poſuit idem Rex Filius Tuus Quod ex Te ſuſcepit, ibi à dextris Te poſuit Reginam, de qua illud ſuſcepit: Nec enim fas eſt Te alibi eſſe, quàm vbi eſt, quod à te genitum eſt.*

II.

Accipe regalem Stellarum, Virgo, coronam:

Debetur capiti tanta Corona Tuo.

In capite eius Corona Stellarum, Apoc. 12. Diuina Matre ad regalem Filij ſui Thronum ſublimata, ſignum hoc reuera magnum, non vnus duntaxat Apocalypticus Vates, ſed totus ſupernorum Ciuium Chorus, conſpicuum habuit in Cœlo; vt videlicet Syderibus concinnatum diadema illius tempora mulieris cingeret, cuius humeris paludamentum Sol, cuius pedibus ſcabellum Luna erat. Tunc quippe in Reginam Vniuerſorum, ſpirituali ſolemni ritu, à tota Triade vncta eſt Virgo, quæ virtutum omnium præcipuo ſplendore veſtita, de ſingulis per Lunam accommodè ſignificatis triumphauerat defectibus. Id autem non obſequij duntaxat, ſed & iuris officio factum eſt: Verè etenim omnium ab initio Regina erat, quæ Regis omnium effecta fuerat Mater. Vnde ſtatim ac ipſa Incarnationi Verbi conſenſit, id forſitan ab eo audiuit, quod Regina Eſther ab Aſſuero *Accede igitur, & tange ſceptrum*, Eſth. 15. *Mariam vocari Dominam & Reginam*, inquit Chryſol. Serm. 142., *ipſa ſui germinis, hoc eſt Filij ſui, fecit & impetrauit auctoritas, hoc enim*, ſubdit Arn. Carnot., *à Dominatione Filij Mater poteſt eſſe ſeiuncta.*

III.

Reginam venerare Tuam, venerare Mariam,

De qua Cæleſtis gratia quaque venit.

Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis, Eccles. in Litan. Meritò Mariam Virginem vt Aduocatam confidenter interpellamus, quam vt Reginam humillime profitemur. Quemadmodum namque temporalis Regina, quando à metropolitano Antiſtite ſolemni ritu coronatur, coram Deo & Sanctis omnibus cum iuramento promittit ſe pro ſuo poſſe curaturam commoda ſubditorum: Ita credendum eſt Reginam noſtram, quando ſolemniter à Sacratiſſima Triade coronata fuit, coram toto Cœleſtium incolarum Senatu pariter promiſiſſe ſe nobis Subditis ſuis predilectis auxilium pro viribus præſtituram. Nec fruſtrata promiſſio eſt: Si quid enim ſpei, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis in nobis eſt, totum ab ea redundat, quæ eſt delicijs affluens. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino* Prouerb. 8. *Totis ergò medullis cordium*, hortatur nos Petr. Serm Nat. B. Virg., *totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia ſic eſt voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria. Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quæ quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt.*

Di-

Diſputabuntur publicè Foroliuij in Templo PP: Sacri Ord. Prædicatorum Anno 1698., Menſe Aprili, Die 13. Hora 21. Obiectis occurret qui ſupra. Aſſiſtet A. R. P. Magiſter F. IOSEPH MARIA TABAGLIO, Studij Generalis Bononiæ Sapientiſſimus Regens, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Vicarius Generalis.

Digitized by Google